



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theses Theologicae De Opinione Probabili

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1683?]

Pertinens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40441

tendentes mutuo consensu dividatur; æqualiter quidem, si jus utrimque sit æque probabile; inæqualiter, si juris probabilitas sit inæqualis; quo tamen posito servanda erit proportio partis recipiendæ, ad probabilitatem juris; ut cui minor est probabilitas, siue minor apparentia juris, minor rei dividendæ portio obtingat; & quantò major tibi est probabilitas tantò major tibi cedat rei dividendæ portio. Porro etsi ex his regulis tene certum, dimitte incertum, item in dubiis via est eligenda tutior, habeatur securitas ne quis peccet contra conscientiam; non tamen, nisi adhuc alia observentur, habeatur securitas ne peccet contra legem. Etenim prout in nuperis Thesibus de peccatis ignorantie ostendimus contra hæresim Celestii & Abailardi, certissimè tenendum est dari peccata ignorantie: ex quo evidenter confectaneum, fieri posse, ut quis peccet contra legem exercendo illud, quod ex errore (errorem vocamus quemvis assensum falsum) ex errore, inquam, vel ignorantia vincibili aut voluntaria, vel ut alii vocant, culpabili, existimat certò esse licitum; adeoque peccet etsi teneat quod sibi persuadebat esse certum, dimittatque quod sibi persuadebat esse incertum. Smiliter etiam evidenter confectaneum est, fieri posse ut quis peccet contra legem exercendo illud, quod ex simili errore vel ignorantia existimat esse tutius, dum inter dubia est constitutus. Ne ex ejusmodi ignorantia peccetur, cavenda sunt impedimenta, quæ tum ex parte intellectûs, tum etiam ex parte voluntatis impediunt notitiam veritatis circa res agendas: assumenda etiam sunt media tum ex parte intellectûs, tum ex parte voluntatis, quibus veritatis notitia comparatur: de quibus egimus in Thesibus de peccatis ignorantie Conclusiones 5. & potissimum 12. Non audiendus proinde, si quis existimet non orandum iis in rebus, quæ inter viros doctos examinantur, disputantur & probabiliter controvertuntur: nam proculdubio talibus etiam studebat, & de talibus scribebat S. Thomas; in cuius tamen vitâ refertur, quod nunquam se lectioni, nunquam scriptioni se daret, nisi post orationem. Sciebat quippe vir sanctus etiam in istis se posse, tum in animæ suæ periculum, tum in aliorum laqueum errare. Hinc in præmio opusculi 73. tractaturus controversias morales de justitia commutativa & de usuris, sapientiam, siue veritatem, æternam puta & incommutabilem, invocat his verbis: "Invoco ergo ipsam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum: sed illum, luminare dignetur oculos caliginosos ipso suo lumine, sine quo nemo valet ad lumen veritatis usquequaque pertingere. Amen,, orandum ergo censet S. Th. ut in istis materiis, veritate luce, & veritate duce, noscere valeat ipsam; nequaquam ergo erat contentus probabilitate: siquidem sciebat istis in materiis multas inter temporis istius Doctores, existare controversias & probabilitates, ut patet ex sequentibus verbis: "Quoniam verò in dubiis, quorum veritas agnita salutaris est, & incognita periculum ingerit humanæ salutis, admodum utile est veritatem investigare, & temporibus nostris audivimus multas controversias inter Doctores, non solum in naturalibus questionibus; verum etiam in moralibus, in quibus periculum est diversa sentire & opinari, & præcipuè in illa parte justitiæ, quæ commutativa dicitur à Philosophis, & in ista parte ejusdem, quæ vitium usuræ cohibet; ideo circa hanc materiam veritatem declarare, & dubia elucidare quantum Deus donaverit, & noster labor commine pauperis investigationis nostræ attingere poterit, in hoc opere propositum nostrum est."

P E R T I N E N S.

Quidquid in his Thesibus traditur contra sæpius dictum principium de usu probabilium, evidenter sequitur ex his tribus principiis autoritate & ratione stabilitis: Tene certum, dimitte incertum. In dubiis via est eligenda tutior. Item qui ex ignorantia voluntaria agit contra legem, peccat.

A L I U D.

sive dicas; quod probabiliter legi non est contrarium, certò licet; sive dicas: practicè probabile, est practicè certum; aut quid simile; idem valet ac si dicas: incertum est certum.

F I N I S.